C

LOCVS.

Nascitur locis cultis & sabulosis.

TEMPVS.

Carpitur autumno dum fructu prægnans est, semenq; eximitur dum tunicule quibus includitur, inaruerunt.

TEMPERAMENTVM.

Calidam in tertio, & in primo ordine humidam statuunt.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Purgant aluum grana eius sex uel septem sumpta in catapotio, aut comesta, aut cum caricis aut palmulis deuorata, frigida superpota aqua. Ducunt autem pituitam & bilem, & aquas. Succus Tithymali modo exceptus, eundem effectum præstat. Folia cum gallinaceo aut oleribus decoquuntur ad eosdem effectus.

EX GALENO.

Sunt qui Lathyrin dicant Tithymali esse speciem, tum quod similiter illis succum habeat, tum quod eodem modo purget, uniuersaq; illis facultate similis sit, nisi quod semen gustantibus uideatur dulce: quod sanè etiam maximè purgatoriam uim obtinet.

EX PLINIO.

Grana uicena in aqua pura aut mulsa pota, hydropicos sanant. Trahunt & bilem. Qui uehementius purgari uolunt, cum folliculis ipsis sumunt ea, nam stomachum lædunt; itaq; inuentum est, ut cum pisce, aut iure gallinacei sumerentur.

DE LEVCOIO DIOSCORIDIS CAP. CLXXIII.

D

NOMINA.

Viola alba. Cheiri.

AEYKOION Græcis, Viola alba, uel Viola simpliciter Latinis, officinis Mauritana uoce Cheiri uel Keirim appellatur, Germanis Veiel. Non autem temerè adiectū est Dioscoridis: hac enim uoce à Leucoio Theophrasti, de quo suo loco dicemus, segregare uoluimus.

GENERA.

Viola purpurea duplex.

Etsi Leucoij nomine Viola significetur candida, tamen & pro lutea, & cœrulea, & purpurea solet usurpari. Quatuor itaque Violæ huius sunt genera, quæ sola florum diuersitate inter se differunt. Alia enim candida, alia lutea, alia purpurea. Non est tamen quod per purpuream hic intelligas eam quæ Græcis ἴον, & Latinis propriè Viola dicitur: nam eius alia ab ea de qua hic agimus familia est, huicq; tum qualitate tum facultate, adde etiam forma, contraria. Ea enim quæ ἴον Græcis uocatur, humilis est, ob id à nonnullis Sessilis dicta, & latiore folio. Contrà nostra illa, ut mox dicemus, cubitali est altitudine, & minimè sessilis. Idem de candida dictum

Viola candida duplex.

putes, nam ea quoq; duplex est: una de qua hic fit sermo, alia sessilis, de qua in præsentia nihil dicemus. Nos tria duntaxat genera picta damus: cœruleas enim uidere non licuit. Quare supposititium hoc uerbum in Dioscoride puto, maximè cum Plinius lib. xxi. ubi de satiuis Violis loquitur, purpurea scilicet, lutea & alba, nullam de cœrulea mentionem fecerit.

FORMA.

Cubitali altitudine prosiliunt, ramosæ, caule Brassicæ exiliore, folio longo, molli, canescente, flore quadrifolio, Violæ syluestris odorem referente, non unius coloris, nam alij candidi, alij lutei, alij purpurei. Semen foliaceum tenuibus quidem, sed quincuncialibus siliquis continetur.

LOCVS.

Vbiq; ferè in hortis & cultis reperiuntur. Non enim nascuntur magna ex parte nisi satæ fuerint.

TEMPVS.